



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Capitvlo Tervisino.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

Advocato supradicto promisit, ejus partem tempore procedente dicto Advocato persolvit. quæ omnia memoratus Episcopus, divinum testimonium invocando, asseruit se penitus ignorasse, nec solvise aliquid pro eadem pecunia consanguineo sepedito, quin immo pro eo quod se fecisse proposuit, odiosus sibi ex tunc extitit & ingratus. Et licet idem Episcopus ab hujusmodi pravitate excessu alienum se reputaverit & immunem, ad dubietatis tamen scrupulum amputandum rei seriem nostro censuit apostolatu referendam. Et sive super præmissis facto culpabilis esset, sive inculpabilis judicandus, per dilectos tamen filios magistrum Galum & I. Ecclesiam suam Canonicos, quibus super hoc mandatum dederat speciale, à nobis cedendi licentiam postulavit, utpote qui præ multis angustiis pastoralis sollicitudinis fatigatus ad umbram quietis aspirat. Porro dictus Episcopus in multis se reddidit merito commendandum, tum quia tamquam fidelis & diligens dispensator injunctum sibi villicationis officium prudenter implevit, & tamquam arbor fructifera in vinea Domini sabaoth gratos fructus uberesque produxit, sub cujus provisionis umbraculo commissâ sibi Ecclesia in spiritualibus & temporalibus dinoscitur floruisse, tum quia studium simoniacæ pravitatis exacta diligentia investigans, quanto potius erat innocens, tanto minus illud voluit palliari, sed cum bonarum mentium sit ibi culpam propriam formidare ubi culpa non est, alienum excessum, quo lædi timuit, nobis quasi proprium indicavit, ut conscientiam nubilum, quod peccatum alienum induxerat, apostolicæ responsionis oraculum serenaret, tum etiam quia sub pastoralis officij sarcina ingemiscens, exonerari humiliter petiit ab eadem, & qui laudabiliter injuncti sibi ministerij curam implebat, insufficientem se judicans, subesse appetit potius quam præesse, ac in humili statu devotum exhibere Domino famulatum quam in dignitatis apice gloriarî. Licet autem ex ejusdem absentia Ecclesiam Tervisinam timeantur dispendia provenire, quæ sub provisione ipsius multa recepisse dinoscitur incrementa, quia tamen se propriis meritis dignum reddidit gratia speciali, nos ipsius supplicationibus inclinati, postulationi ejus ex benignitate apostolica duximus annuendum. Quocirca fraternitati tuæ presentium auctoritate mandamus quatenus cessionem ipsius recipiens vice nostra, eundem absolvas ab

onere officij pastoralis, competentem eisdem de bonis episcopalibus provisionem assignans. Datum Viterbij 14. Non. Julij, pontificatus nostri anno duodecimo.

CAPITULO TERVISINO.

Sicut venerabilis frater noster &c. in eundem ferè modum ut in alia usque in finem. Quocirca devotionem vestram rogandam duximus & monendam, per apostolica vobis scripta sub obtestatione divini judicij districtè præcipiendo mandantes quatenus post cessionem ipsius convenientes in unum, sancti spiritus gratia invocata, omni carnali gratia, humano favore, ac commodo privato posthabitis, habentes præ oculis solum Deum, personam idoneam quæ tanto congruat oneri & honori, & prodesse debeat potius quam præesse, canonicè vobis in Episcopum eligatis. Datum ut supra.

**TERRACONENSI ARCHIEPISCOPO
& Suffraganeis ejus.**

Eius exemplo &c. ut in caterno penult. mo regesti undecimi anni usque censuimus proponendum fratribus & amicis cum Prælatorum conscientia & assensu, ita quòd ab eis propter hoc nec Ecclesiarum frequentatio nec Clericorum prædicatio postponatur &c. usque in finem. Ad majorem verò cautelam alias quasdam litteras, quas vobis dirigimus incipientes hoc modo, * Si quemadmodum, & quasdam alias quas illis direximus hoc habentes principium, * Gravem contra vos, ab eis volumus præsentari. Datum Viterbij 111. Non. Julij, anno duodecimo.

**NARBONENSI ARCHIEPISCOPO
& Suffraganeis ejus.**

Si quemadmodum nobis per litteras vestras & duos fratres Cisterciensis ordinis intimastis, Durandus de Osca cum complicitibus suis infideliter agit, vel ad fallendum Romanam Ecclesiam, vel ad eludendum canonicam disciplinam, illud sibi profectò continget quod de talibus scriptura testatur, *In insidiis suis capientur iniqui*, cum astutias sathanæ non penitus ignoremus. Si verò de pristina superstitione quicquam retineat ad cautelam, ut facilius capere possit vulpeculas quæ moluntur vineam Domini demoliri, tolerandus est prudenter ad tempus, donec arbor à fructibus cognoscatur, dummodo circa substantiam veritatis de corde puro & conscientia bona & fide non ficta procedat, quando-